

quantitatis, sicut videri ratione sui coloris: & ideo non est simile.

SOLUTIO VI.

Ad sextam quaestionem dicendum, quod omne corpus palpabile est tangibile; sed non convertitur. Omne enim corpus est tangibile quod habet qualitates quibus natus est immutari sensus tactus: unde aer, & ignis, & omnia hujusmodi sunt corpora tangibilia. Sed palpabile ulterius addit quod resistat tangenti: unde aer, qui nequaquam resistit transeunti per eum; sed est facilissima divisionis, tangibilis quidem est, sed non palpabilis. Sic ergo patet quod palpabile dicitur aliquod corpus ex duobus, scilicet ex qualitatibus tangibilibus, & ex hoc quod resistit tangenti, ut non pertranseat: quia qualitates tangibiles sunt calidum, & frigidum, & hujusmodi, quae non inveniuntur nisi in corporibus gravibus, & levibus, quae habent contrarietatem ad invicem, ac per hoc sunt corruptibilia. Ideo corpora caelestia, quae sunt secundum naturam incorruptibilia, sunt sensibilia quidem visu, sed non tangibilia, & sic etiam nec palpabilia: & hoc est quod Gregorius dicit (loc. cit.) quod corrupti necesse est omne quod palpatur. Corpus ergo gloriosum habet ex natura sua qualitates quae sunt natae immutare tactum; sed tamen quia corpus est omnino subjectum spiritui, in potestate ejus est ut secundum eas immutet tactum, vel non immutet. Similiter etiam secundum naturam subjecti competit ut resistat cuilibet alteri corpori transeunti, ita quod non possit esse cum eo simul in eodem loco; sed miraculose hoc potest divina virtute contingere ad nutum ipsius quod sit cum alio corpore in eodem loco, & sic non resistet ei transeunti. Unde secundum naturam suam palpabile est corpus gloriosum; sed ex virtute supernaturali hoc ei competit ut cum non vult, non palpetur a corpore non glorioso: & ideo Gregorius dicit (ubi supra) quod Dominus palpandam carnem praebuit, quam januis clausis introduxit, ut profecto ostenderet post resurrectionem corpus suum esse & ejusdem naturae, & alterius gloriae.

Ad primum ergo dicendum, quod incorruptibilitas corporis gloriosi non est ex natura componentium, secundum quam omne quod palpatur, necesse est corrumpi, ut ex dictis patet: & ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis aliquo modo fieri possit quod corpus gloriosum sit cum alio corpore in eodem loco, tamen corpus gloriosum habet in potestate sua resistere cuilibet tagenti cum voluerit; & sic palpari potest.

Ad tertium dicendum, quod qualitates tangibiles in corporibus gloriosis non erunt reductae ad medium rei secundum aequam distantiam ab extremis acceptum, sed ad medium proportionis, secundum quod optime competit complexionem humanam in singulis partibus: & ideo tactus illorum corporum est delectabilissimus: quia potentia semper delectatur in convenienti, & tristatur in excessu.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Non de cantico novo, ut prius, nec XIII. de Trinit. cap. VII. sicut in Supplemento quaest. LXXXIV. art. 2. Sed colligitur ex Manuali cap. XXXI. In edit. P. Savina ann. 1712. loc. cit. Supplementi haec habentur. Lib. de Spir. & anima cap. LXIII. & Lib. XIII. de Trinit. cap. VII. tom. III. & in Manuali cap. XXXI. tom. IX.

ARTICULUS III.

Utrum corpora gloriosa sint futura agilia.

IV. contr. Gent. cap. LXXXVI.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod corpora gloriosa non sint futura agilia. Illud enim quod de se est agile ad motum, non indiget aliquo diferente. Sed corpora glorificata deferuntur post resurrectionem in nubibus obviam Christo in aere ab Angelis, ut dicit Glossa (interlinealis) I. ad Tessal. IV. Ergo corpora gloriosa non erunt agilia.

2. Praeterea. Nullum corpus quod movetur cum labore, & poena, potest dici agile. Sed corpora gloriosa hoc modo movebuntur, cum motor eorum, scilicet anima, moveat in contrarium naturae eorum, alias moverentur semper in unam partem. Ergo non erunt agilia.

3. Praeterea. Inter operationes animalis sensus est nobilior, & prior quam motus. Sed non assignatur corporibus gloriosis aliqua proprietas quae perficiat ea ad sentiendum. Ergo nec eis debet attribui agilitas, per quam perficiantur ad motum.

4. Praeterea. Natura dat diversis instrumenta diversae dispositionis secundum diversas virtutes ipsorum: unde non ejusdem dispositionis instrumenta dat animalis tardum, vel veloci. Sed Deus multo ordinatius operatur quam natura. Cum ergo corpus gloriosum habeat membra ejusdem dispositionis in figura, & quantitate sicut modo, videtur quod non habeat aliam agilitatem quam modo habet.

Sed contra est quod patet I. Corinth. XV. 43. Seminatur in infirmitate, surget in virtute, id est mobile, & vivum. Sed mobilitas non potest dici nisi agilitatem ad motum. Ergo corpora gloriosa erunt agilia. Praeterea. Tarditas maxime videtur spiritualitati repugnare. Sed corpora gloriosa erunt spiritualia, ut dicitur I. Corinth. XV. Ergo erunt agilia.

QUAESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod agilitate sua numquam utentur; ita quod moveantur. Quia secundum Philosophum (VIII. Physic. text. XIV.) motus est actus imperfectus. Sed in illis corporibus nulla erit imperfectio. Ergo nec aliquis motus.

2. Praeterea. Omnis motus est propter indigentiam; quia omne quod movetur, movetur propter ademptionem alicujus finis. Sed corpora gloriosa non habebunt aliquam indigentiam: ut Augustinus dicit (a) Lib. de cant. novo cap. X. Ibi erit quidquid voles, non erit quidquid noles. Ergo non movebuntur.

3. Praeterea. Secundum Philosophum in II. Coeli & mundi text. LXIV. LXVI. quod participat divinam bonitatem sine motu, nobilior participat illam quam quod participat eam cum motu. Sed corpus gloriosum nobilior participat divinam bonitatem quam aliquod aliud corpus. Cum ergo quaedam alia corpora omnino sine motu remaneant, sicut corpora caelestia, videtur quod multo fortius corpora humana.

4. Praeterea. Augustinus dicit, quod anima stabilita in Deo stabilit & corpus suum consequenter.

Sed Ex Edit. P. Nicol. (a) Non de cantico novo, ut prius, nec XIII. de Trinit. cap. VII. sicut in Supplemento quaest. LXXXIV. art. 2. Sed colligitur ex Manuali cap. XXXI. In edit. P. Savina ann. 1712. loc. cit. Supplementi haec habentur. Lib. de Spir. & anima cap. LXIII. & Lib. XIII. de Trinit. cap. VII. tom. III. & in Manuali cap. XXXI. tom. IX.

Sed anima ita erit in Deo stabilita quod nullo modo ab eo movebitur. Ergo nec in corpore erit aliquis motus ab anima.

5. Praeterea. Quanto corpus est nobilior, tanto debetur ei locus nobilior; unde corpus Christi, quod est nobilissimum, habet locum eminentiorem inter caetera loca, ut patet Heb. VII. 26. Excelsior caelis factus, Glossa (interlin.) „loco, & dignitate:“ & similiter unumquodque corpus gloriosum habebit eadem ratione locum sibi convenientem secundum mensuram suae dignitatis. Sed locus conveniens est de pertinentibus ad gloriam. Cum ergo post resurrectionem gloria Sanctorum numquam varietur neque in plus, neque in minus; quia tunc erunt omnino in termino; videtur quod corpora eorum numquam de loco sibi determinato recedent, & ita non movebuntur.

Sed contra est quod dicitur Isai. XLIII. Current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient; & similiter Sap. III. 7. dicitur: Tamquam scintilla in arundinato discurreret. Ergo erit aliquis motus corporum gloriosorum.

QUAESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod moveantur in instanti. Augustinus enim dicit Lib. XII. de Civit. Dei cap. XXX. quod ubicumque voluerit spiritus, ibi erit & corpus. Sed motus voluntatis secundum quem spiritus vult alicubi esse, est in instanti. Ergo & motus corporis erit in instanti.

2. Praeterea. Philosophus text. LXXXI. probat, quod si fieret motus per vacuum, oporteret aliquid moveri in instanti; quia vacuum non resistit aliquo modo mobili, resistit autem plenum; & sic nulla proportio esset motus qui fit in vacuo, ad motum qui fit in pleno, in velocitate, cum proportio motuum in velocitate sit secundum proportionem resistentiae quae est in medio. Omnium autem duorum motuum qui fiunt in tempore, oportet esse proportionales velocitates: quia omne tempus omni tempori proportionale est. Sed similiter nullum spatium plenum potest resistere corpori glorioso, quod potest esse cum alio corpore in eodem loco, quocumque modo fiat, sicut nec vacuum alteri corpori. Ergo si movetur, in instanti movebitur.

3. Praeterea. Virtus animae glorificatae quasi imparcialiter excedit virtutem animae non glorificatae. Sed anima non glorificata movet corpus in tempore. Ergo anima glorificata movet corpus in instanti.

4. Praeterea. Omne quod movetur aequaliter cito ad propinquum, & distans, movetur in instanti. Sed motus corporis gloriosi est talis: quia ad quantumcumque distans spatium movetur tempore imperceptibili; unde Augustinus dicit in quaestionibus de resurrectione, Lib. XXII. de Civit. Dei cap. XXX. & epist. XLIX. quae. 1. quod corpus gloriosum utraque intervalla pari celeritate pertingit, ut radius solis. Ergo corpus gloriosum movetur in instanti.

5. Praeterea. Omne quod movetur, vel movetur in tempore, vel movetur in instanti. Sed corpus gloriosum post resurrectionem non movebitur in tempore: quia tempus jam non erit, ut dicitur Apocal. X. Ergo motus ille erit in instanti.

Sed contra. In motu locali spatium, & motus, & tempus simul dividuntur, ut demonstrative probatur in VI. Physic. text. XV. Sed spatium quod transit corpus gloriosum per suum motum, est divisibile. Ergo & motus divisibilis, & tempus divisibile. Ins-

rans autem non dividitur. Ergo & motus ille non erit in instanti.

Praeterea. Non potest esse aliquid simul totum in uno loco, & partim in illo, & partim in alio: quia sequeretur quod altera pars esset in duobus locis simul; quod esse non potest. Sed omne quod movetur, partim est in termino a quo, & partim in termino ad quem, ut demonstratum est in VI. Physic. Omne autem quod motum est, totum est in termino ad quem est motus. Ergo non potest esse quod simul moveatur, & motum sit. Sed omne quod movetur in instanti, simul movetur, & motum est. Ergo motus localis corporis gloriosi non poterit esse in instanti.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod corpus gloriosum erit omnino subjectum animae glorificatae, non solum ut nihil in eo sit quod resistat voluntati spiritus, quia hoc fuit etiam in corpore Adae, sed etiam ut sit in eo aliqua perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile reddatur ad praedictam subjectionem; quae quidem perfectio dos glorificati corporis dicitur. Anima autem conjungitur corpori non solum ut forma, sed ut motor; & utroque modo oportet quod corpus gloriosum animae glorificatae sit summe subjectum. Unde sicut per dotem subtilitatis subjicitur ei totaliter, in quantum est forma corporis, dans esse specificum; ita per dotem agilitatis subjicitur ei in quantum est motor, ut scilicet sit expeditum, & habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus, & actionibus animae. Quidam tamen causam istius agilitatis attribuunt quinq. essentialibus, quae tunc in corporibus gloriosis dominabuntur. Sed de hoc frequenter dictum est, quod non videtur conveniens: unde melius est quod attribuat anima, a qua gloria in corpore emanat.

Ad primum ergo dicendum, quod corpora gloriosa dicuntur ferri bajulis Angelis, & etiam in nubibus, non quasi eis indigeant, sed ad reverentiam designandam quae corporibus gloriosis & ab Angelis, & ab omnibus creaturis deferetur.

Ad secundum dicendum, quod quanto virtus animae moventis dominatur magis supra corpus, tanto minor est labor in motu, qui etiam fit contra naturam corporis. Unde illi in quibus virtus motiva est fortior, vel qui habent ex exercitio corpus magis habitatum ad obediendum spiritui moventi, minus laborant in motu; & quia post resurrectionem anima perfecte dominabitur corpori tum propter perfectionem propriae virtutis, tum propter habitatem corporis gloriosi ex redundantia gloriae ab anima in ipsum; non erit aliquis labor in motu Sanctorum; & sic dici possunt corpora Sanctorum agilia.

Ad tertium dicendum, quod per dotem agilitatis corpus gloriosum redditur habile non solum ad motum localem, sed ad sensum, & ad omnes alias operationes animae exequendas.

Ad quartum dicendum, quod sicut natura dat velocioribus animalibus instrumenta diversae dispositionis in figura, & quantitate; ita Deus dabit corporibus Sanctorum aliam dispositionem quam nunc habent, non quidem in figura, & quantitate, sed in proprietate gloriae, quae dicitur agilitas.

SOLUTIO II.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod corpora gloriosa aliquando moveri necessarium est po-

neri: quia & ipsum corpus Christi motum est in ascensione, & similiter corpora Sanctorum quæ de terra resurgent, ad cælum empyreum ascendent. Sed etiam postquam cælos ascenderit, versimile est quod aliquando moveantur pro suæ libito voluntatis, ut illud quod habent in virtute, actu exercentes, divinam sapientiam commendabilem ostendant, & ut etiam visus eorum reficiatur pulchritudine creaturarum diversarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit: sensus enim non potest esse nisi præsentium, quamvis magis à longinquo possit sentire corpora gloriosa, quam non gloriosa, ut supra dictum est. Nec tamen per motum aliquid deperiet eorum beatitudini, quæ consistit in visione Dei, quem ubique præsentem habent, sicut & de Angelis dicit Gregorius hom. xxxiv. in Evang. quod intra Deum currunt quocumque mittantur.

Ad primum ergo dicendum, quod motus localis non variat aliquid eorum quæ sunt intranea rei, sed est secundum id quod est extra rem, scilicet locum: unde illud quod movetur motu locali, est perfectum quantum ad ea quæ sunt intra rem, ut dicitur in VIII. Physic. text. I. quamvis habeat imperfectionem respectu loci: quia dum est in uno loco, est in potentia ad alium locum: quia non potest esse actu in pluribus locis simul, hoc enim solius Dei est. Hic autem defectus non repugnat perfectioni gloriæ: sicut nec defectus quod creatura est ex nihilo; & ideo manebunt huiusmodi defectus in corporibus gloriosis.

Ad secundum dicendum, quod aliquis dicitur indigere aliquo & simpliciter, & secundum quid. Simpliciter quidem indiget aliquis illo sine quo non potest conservari in esse, vel in sua perfectione; & sic motus in corporibus gloriosis non erit propter aliquam indigentiam, quia ad hæc omnia sufficit ei sua beatitudo. Sed secundum quid indiget aliquis illo sine quo non potest aliquem finem intentum habere, vel non ita bene, vel tali modo; (1) & sic motus erit in beatis propter indigentiam: non enim poterunt manifestare virtutem motivam in seipsis in experimento, nisi moveantur; huiusmodi enim indigentias nihil prohibet in corporibus gloriosis esse.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, si corpus gloriosum non posset etiam sine motu participare divinam bonitatem multo altius quam corpora cælestia; quod falsum est: unde corpora gloriosa non movebuntur ad consequendam perfectam divinæ bonitatis participationem, hæc enim habent per gloriam; sed ad demonstrandam (2) virtutem animæ. Per motum autem corporum cælestium non posset demonstrari virtus eorum nisi quam habent in movendo corpora inferiora ad generationem, & corruptionem; quod non competit illi statui, ut ex dictis patet; & ideo ratio non procedit.

Ad quartum dicendum, quod motus localis nihil diminuit de stabilitate ab anima stabilita in Deo, cum non sit secundum aliquid intrinsecum rei, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod locus congruus unicuique corpori glorioso (3) deputatus secundum gradum suæ dignitatis pertinet ad præmium accidentale; non tamen oportet quod diminuatur aliquid de præmio, quantumcumque sit extra locum illum: quia locus ille non pertinet ad præmium, secundum quod actu continet corpus locatum, cum nihil influat in

gloriosum corpus, sed magis recipiat splendorem ab eo, sed secundum quod est debitus pro meritis: unde gaudium de tali loco manet etiam ei qui est extra locum illum.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæestionem dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod corpus gloriosum transit de uno loco in alium sine hoc quod pertranseat medium, sicut & voluntas de uno loco transfertur ad alium, sine hoc quod pertranseat medium; & propter hoc potest corporis gloriosi motus esse in instanti, sicut etiam voluntatis. Sed hoc non potest stare: quia corpus gloriosum nunquam pervenit ad nobilitatem naturæ spiritualis, sicut nunquam desinet esse corpus. Et præterea, cum voluntas dicitur moveri de uno loco in alium, non transfertur essentialiter de loco in locum, quia neutro illorum locorum essentialiter continetur, sed dirigitur in unum locum postquam fuerat directæ per intentionem ad alium; & pro tanto dicitur moveri de loco ad locum.

Et ideo alii dicunt, quod corpus gloriosum habet de proprietate naturæ suæ, qua corpus est, quod pertranseat medium, & ita quod moveatur in tempore; sed virtute gloriæ, qua habet quamdam infinitatem supra virtutem naturæ, habet quod possit non pertransire medium, & sic in instanti moveri. Sed hoc non potest esse: quia implicat in se contradictionem, quod patet sic. Sit aliquod corpus quod moveatur de A in B, & corpus motum sit (4) Z, quod Z quantum est totum in A, non movetur; similiter nec quando est totum in B; quia tunc motum est. Ergo si aliquando movetur, oportet quod neque sit totum in A, neque totum in B. Ergo quando movetur, vel nusquam est, vel est partim in A, & partim in B, vel totum in alio loco medio, puta in C, aut partim in C, & partim in A, seu in B. Sed (5) non potest poni, quod nusquam sit: quia sic esset aliqua quantitas dimensionata non habens situm; quod est impossibile: neque potest poni, quod sit partim in A, & partim in B, & non sit in medio aliquo modo: quia cum B sit locus distans ab A, sequeretur, medio interjacente, quod pars Z, quæ est in B, non esset continua parti quæ est in A. Ergo restat quod sit vel totum in C, vel partim in eo, & partim in alio loco, quod ponetur medium inter C & A, puta D; & sic de alijs. Ergo oportet quod Z non perveniat de A in B, nisi prius sit in omnibus medijs: nisi dicatur, quod pervenit de A in B, & nunquam movetur; quod implicat contradictionem, quia ipsa successio locorum est motus localis. Eadem ratio est de qualibet mutatione quæ habet duos terminos contrarios, quorum utrumque est aliquid positive. Secus autem est de illis mutationibus quæ habent unum terminum tantum positivum, & alterum puram privationem: quia inter affirmationem & negationem sive privationem non est aliqua determinata distantia. Unde quod est in negatione, potest esse propinquius: vel remotius ab affirmatione, & è contrario, ratione alicuius quod causet alterum eorum, vel disponat ad eam; & sic dum id quod movetur, est totum sub negatione, mutatur ad affirmationem, & è converso: unde etiam in eis mutans præcedit mutatum esse, ut probatur in VI. Physic. text. LII. Nec

V. QUÆSTIO II.

est simile de motu Angeli: quia esse in loco æquivoce dicitur de corpore, & de Angelo, ut in I. Libro dist. xxxvi. quæst. lxxi. art. I. dictum est. Et sic patet quod nullo modo potest esse quod aliquod corpus perveniat de uno loco ad alium, nisi transeat omnia media.

Et ideo alii hoc concedunt, sed tamen dicunt quod corpus gloriosum movetur in instanti. Sed ex hoc sequitur quod corpus gloriosum in eodem instanti sit in duobus locis, vel pluribus, scilicet in termino ultimo, & in omnibus locis medijs; quod non potest esse. Sed ad hoc dicunt, quod quamvis sit idem instans secundum rem, tamen differt ratione, sicut punctus ad quem terminantur diversæ lineæ. Sed hoc non sufficit, quia instans mensurat hoc quod est in instanti secundum rem, non secundum hoc quod consideratur: unde diversa consideratio instantis non facit quod instans possit mensurare illa quæ non sunt simul tempore, sicut nec diversa consideratio puncti potest facere quod sub uno puncto loci contineantur quæ sunt distantia situ.

Et ideo alii probabilius dicunt, quod corpus gloriosum movetur in tempore, sed imperceptibili propter brevitetem; & quod tamen unum corpus gloriosum potest in minori tempore idem spatium pertransire quam aliud: quia tempus, quantumcumque parvum accipiatur, in infinitum est divisibile.

Ad primum ergo dicendum, quod illud quod parum deest, quasi nihil deesse videtur, ut dicitur in III. Physic. text. lvi. & ideo dicimus, Statim facio, quod post modicum tempus fiet: & per hunc modum loquitur Augustinus, quod ubicumque erit voluntas, ibi erit corpus statim. Vel dicendum, quod voluntas nunquam erit inordinata in beatis: unde nunquam volent corpus suum esse alicubi in aliquo instanti in quo non possit ibi esse, & sic quodumque instans voluntas determinabit, in illo corpus erit in illo loco quem voluntas determinat.

Ad secundum dicendum, quod quidam contradixerunt illi propositioni quam Philosophus inducit in parte illa, ut Commentator ibidem dicit, dicentes quod non oportet esse proportionem totius motus ad totum secundum proportionem resistentis medii ad aliud medium resistentem; sed oportet quod secundum proportionem mediorum per quæ transitur, attendatur proportio retardationum quæ accidit in motibus ex resistentia medii. Quilibet enim motus habet determinatum tempus velocitatis, & tarditatis ex victoria moventis supra mobile, etiam si nihil resistat ex parte medii, sicut patet in corporibus cælestibus, in quibus non invenitur aliquid quod obstat motui ipsorum; & tamen non moventur in instanti, sed in tempore determinato secundum proportionem potentie moventis ad mobile. Et ita patet quod etiam si ponatur aliquid moveri in vacuo, non oportebit quod moveatur in instanti, sed quod nihil addatur tempori quod debetur motui ex proportionem prædicta moventis ad mobile, quia motus non retardatur. Sed hæc ratio, ut Commentator dicit ibidem, procedit ex falsa imaginatione, qua quis imaginatur quod tarditas quæ causatur ex resistentia medii, sit aliqua pars motus addita motui naturali, qui habet quantitatem secundum proportionem moventis ad mobile; sicut una linea additur lineæ, ratione cuius accidit in lineis quod non remanet eadem proportio totius ad totam lineam, quæ erat linearum additarum ad invicem; ut sic etiam non sit eadem proportio totius motus.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. retarditatis. (2) Al. quocumque movetur.

ad totum motum sensibilem, quæ est retardationem contingentium ex resistentia media: quæ quidem imaginatio falsa est; quia quælibet pars motus habet tantum de velocitate, quantum totus motus; non autem quælibet pars lineæ habet tantum de quantitate dimensionata, quantum habet tota linea: unde tarditas, vel velocitas addita motui redundat in quælibet partem ejus, quod de lineis non convenit; & sic tarditas addita motui non facit aliam partem motus, sicut in lineis accidebat, quod additum est pars totius lineæ.

Et ideo ad intelligendam probationem Philosophi; ut Commentator ibidem exponit, sciendum est, quod oportet accipere totum pro uno, scilicet resistentiam mobilis ad virtutem moventem; & resistentiam medii per quod est motus, & cuiuscumque alterius resistentis; ita quod accipiatur quantitas (1) tarditatis totius motus secundum proportionem virtutis moventis ad mobile resistentem (2) quocumque modo, vel ex se, vel ex alio extrinseco. Oportet enim quod semper mobile resistat aliquo modo moventi, cum movens, & motum, agens, & patiens, inquantum huiusmodi, sint contraria. Quandoque autem invenitur resistere mobile moventi ex seipso, vel quia habet virtutem inclinantem ad contrarium, sicut patet in motibus violentis; vel saltem quia habet locum contrarium loco qui est in intentione moventis, cuiusmodi resistentia invenitur etiam corporum cælestium ad suos motores. Quandoque autem mobile resistit virtuti moventis ex alio tantum, & non ex seipso, sicut patet in motu naturali gravium, & levium: quia per ipsam formam eorum inclinatur ad motum talem: est enim forma impressio generantis, quod est motor per se gravium, & levium. Ex parte autem materiæ non invenitur aliqua resistentia neque virtutis inclinantis ad contrarium motum, neque contrarii loci: quia locus non debetur materiæ nisi secundum quod sub dimensionibus consistens, perficitur forma naturali: unde non potest esse resistentia nisi ex parte medii: quæ quidem resistentia est motui eorum connaturalis. Quandoque autem est resistentia ex utroque, sicut patet in motibus animalium. Quando ergo in motu non est resistentia nisi ex parte mobilis, sicut accidit in corporibus cælestibus, tunc tempus motus mensuratur secundum proportionem motoris ad mobile; & in talibus non procedit ratio Philosophi: quia amoto omni medio, adhuc manet motus eorum in tempore. Sed in illis motibus in quibus est resistentia ex parte medii tantum, accipitur mensura temporis secundum impedimentum quod est ex medio solum: unde si subtrahatur omnino medium, nullum impedimentum remanebit: & sic vel movebitur in instanti, vel æquali tempore movebitur secundum vacuum spatium & plenum: quia dato quod moveatur in tempore per vacuum, illud tempus in aliqua proportione se habebit ad tempus in quo moveatur per vacuum. Possibile autem est imaginari aliud corpus in eadem proportione subtilius corpore quo spatium plenum erat; quo si aliud spatium æquale impleatur, in tam parvo tempore movebitur per illud plenum, sicut primo per vacuum: quia quanto additur ad subtilitatem medii, tanto subtrahitur de quantitate temporis, & quanto est magis subtile, minus resistit. Sed in alijs motibus in quibus est resistentia ex ipso mobili, ex medio, quantitas temporis est accipienda secundum proportionem moventis potentie ad resistentiam mobilis, & medii

Gg

si-

anno. lxx. (c) lxxv. lxxvi. lxxvii. lxxviii. lxxix.

(1) Al. & sic motus si erit in beatis propter indigentiam, non poterunt &c. (2) Al. virtutem animæ per motum corporum cælestium. (3) Al. deputetur. (4) Al. hic, & deinceps tertium. (5) Al. deest non.